



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De campanario, quem diabolus transtulit in pinnam Ysenburg, cap. 56.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

## DE DÆMONIBVS

324

Iob 41.

revera timet psalmum, non gladium; Corpus eius, re  
ait Iob, imò Dominus ad Iob, quasi scuta fusilia, compactum squamis sese comprimitibus. Reputabit qua-  
si paleas ferrum, & quasi lignum putridum, &c. Non  
est super terram potestas, quæ comparetur ei. A P O-  
L O N I V S: Sicut colligo ex his verbis sancti Iob, si dia-  
boli virtus ligata & limitata non esset, nullus homi-  
num subsistere posset. C A E S A R I V S: Quod autem ho-  
minem lädere non possit, nisi quantum a Deo fuerit  
permisus, in fine huius distinctionis satis manifesto  
tibi pandam exemplo.

## C A P V T L V I.

Demo-  
nem non  
plus pos-  
se, quam  
ei à Deo  
fuerit  
permis-  
sum.

I N villa quadam, ante paucos annos, diœcesis Co-  
loniensis, quæ Ambula vocatur, cāpanarius fuit,  
& fortè adhuc viuit, votum habens cuiusdam pe-  
regrinationis. Hic cùm die quadam conduxisset cum  
femina quadam villa suæ, quòd manè pariter ituri el-  
fent, illa eum rogauit, ut maturius surgeret, & matu-  
tinas pulsaret, propter solis feruorem, & promisit. Ea-  
dem nocte diabolus ad lectum eius veniens, tetigit eū  
& ait: Pulsa matutinas, sicque discessit. Qui mox sur-  
gens, & lumen in ecclesia ardere conspiciens, cùm an-  
te primum galli cantum esse deprehendisset, putans  
quia à prædicta femina fuisset excitatus, de ecclesia  
exiuit, volens illi dicere ut iret dormitum, eo quòd ni-  
mis manè esset. Quam eūm quereret, nec inueniret,  
bouem nigrum contra se stare vidit, qui lingua emissa  
hominem tetigit, eumque super dorsum suum per il-  
lam misit, & per aërem cum illo volitans, super pinnā  
turris castri, quod Isenburg dicitur, depositus. Cui cùm  
diceret: Timēsne aliquid modò? Respondit ille: Dei  
permissione hoc ductus sum, nihil contra me poteris,  
nisi quantū ille permiserit. Ad quod diabolus: Fac mihi  
homagium, & ego te deponam, daboque tibi di-  
uitias multas: quod si non feceris, vel fame in hoc lo-  
co morieris, vel præcipitò interibis. Cui campanarius,  
spem habens in Christo, respondit: Adjuro te per no-  
men Iesu Christi, ne me lädas, & vt me sine periculo  
corporis mei deponas. Mox diabolus illum tollens, in  
campo

campo iuxta villam Gerisheim satis incommodè depositum. Ante lucem diei, in dedicatione ecclesiæ eiusdem villæ, dilucido homines ad matutinarum solennia cum faculis properantes, cùm hominem in agro in magno defectu reperissent, atque refocillassent, auditis his quæ ei cōtigerant, satis mirati sūt. Quarato verò die regressus in domum suam, situm tam locorum, quam ædificiorum, quæ nunquam antè videbat, tam plenè omnibus exposuit, ut de raptu eius nihil dubitarent. APOLLONIUS: Iam mihi satis fateor probatum, tam sententijs quām exemplis, dæmones esse, multos esse, & infestos esse hominibus. CÆSAR. Vnde consilium est meum, vt cognitis his, non illis consentiamus, ne nos audire contingat: *I te maledicti in ignem æternum, qui præparatus es diabolo & angelis eius: sed resistendo illis, omnibusque vitijs, audire mereamur cum electis: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.*

Matt. 25

## FINIS LIBRI

Quinti.

CAPITA LIBRI  
SEXTI.

- |                                                                                                 |         |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------|---------|
| <b>D</b> e virtute simplicitatis, cap.                                                          | primum. |
| De simplice monacho, qui carnes in castro comedendo pecora monasterij sui reduxit, cap.         | 2.      |
| De Christiano Decano Bonnense, qui Abbatii pisa sagimine condita apposuit in simplicitate, cap. | 3.      |
| De Godeschalco monacho, qui in Syberg artocreas in sagina decoctas simpliciter manducauit, cap. | 4.      |
| Vita domini Enffridi Decani sancti Andreae in Colonia, cap.                                     | 5.      |
| Vita domini Hermanni Decani Hildesheimensis ecclesie, cap.                                      | 6.      |
| De simplicitate VVermboldi canonici sancti Gereonis in Colonia, cap.                            | 7.      |